

Martii, indictione sexta, Incarnationis Domini-  
nicæ anno 1187 (qui nunc 1188), pontificatus vero  
domini Clementis papæ III anno primo

## XXXI.

*Universis episcopis significat de privilegio fratrum  
S. Mariæ de Reno, ut a quocunque maluerint  
Catholico antistite ordinentur.*

(Laterani, Mart. 5.)

[TROMBELLÌ, *Mem. di Reno*, 456.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venera-  
bilibus fratribus universis episcopis ad quos litteræ  
istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedi-  
ct onem.

Cum dilectis filiis nostris Hugoni priori subdia-  
cono nostro, et conventui sanctæ Mariæ de Reno  
ab episcopis Bononiensibus fuerit jam pridem  
indultum, et apostolico eis privilegio confi-  
matum, ut a quocunque maluerint catholico antistite ordi-  
nentur, providere volumus et debemus, ut eis li-  
bertas ista futuris temporibus servetur illæsa. Qua-  
propter fraternitati vestræ ad instar felicis recor-  
dationis Lucii et Urbani prædecessorum nostrorum  
per apostolica scripta mandamus, quatenus cum ad  
vos aliquis eorum accesserit ordinandus, juxta te-  
norem privilegii sui, nullius contradictione vel ap-  
pellatione obstante, auctoritate apostolica ordinetur.  
Nolumus autem ut pro eo quod ab aliquo semel aut  
sæpius receperint ordines, facultas eis adeundi  
alium vel alios aliquatenus denegetur.

Datum Laterani, v Nonas Martii, pontificatus  
nostri anno primo.

## XXXII.

*Monasterio Cluniacensi Sanam villam asserit.*

(Laterani, Mart. 5.)

[*Bullar. Cluniac.*, 92.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dile-  
ctis filiis HUGONI abbati et conventui Cluniac., sa-  
lutem et apostolicam benedictionem.

Preces quæ a rationis tramite non discedunt,  
prona nos voluntate decet admittere, et effectui de-  
bito mancipare. Inde est quod vestra justa postu-  
latione indulti villam Sanam quam vir nobilis...  
Despire per manum venerabilis fratris nostri Theo-  
haldi Ostiensis episcopi, tunc vestri abbatis, mo-  
nasterio vestro in ultima voluntate legavit, sicut  
eam juste ac sine controversia possidetis, auctori-  
tate vobis apostolica confirmamus, et præsentis  
scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-  
nam nostræ confirmatiõnis infringere, vel ei ausu  
temerario contraire. Si quis autem hoc attentare  
præsumserit, indignationem omnipotentis Dei et  
beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit  
incursurum.

Datum Laterani, iii Nonas Martii, pontificatus  
nostri anno primo.

## XXXIII.

*Ad Willelmum regem Scotorum. — De exemptione  
Ecclesiarum terræ suæ.*

(Laterani, Mart. 11.)

[MANSI, *Concil.*, XXII, 548.]

Cum universi Christi jugo subjecti ad sedem  
apostolicam patrocinium invenire debeant et favo-  
rem, illos tamen specialius convenit munimine pro-  
tectionis confoveri, quorum fidem ac devotionem  
ut pluribus est experta : ut ad ipsius electionis fa-  
vorem tanto amplius provocetur, et ejus reverentiæ  
devotiori affectione subdantur, quanto benevo-  
lentiæ ipsius et gratiæ pignus se noverint certius  
assecuti. Eapropter, charissime in Christo fili,  
reverentiam ac devotionem quam ad Romanam te  
habuisse a longis retro temporibus Ecclesiam novi-  
mus, attendentes, præsentis scripti pagina duxi-  
mus statuendum, ut Scotiana Ecclesia apostolicæ  
sedi, cujus filia specialis existit, nullo mediante de-  
beat subjacere. In qua hæc sedes episcopales esse  
noscuntur : ecclesiæ videlicet Sancti Andreae, Glas-  
cuensis, Dunkeldensis, Dumblinensis, Brehinensis,  
Aberdonensis, Moraviensis, Rosensensis, Katinen-  
sis : et nemini liceat nisi Romano pontifici, vel le-  
gato ab ipsius latere destinato, in regnum Scotiæ  
interdicti vel excommunicationis sententiam pro-  
mulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non  
valere. Adjicimus ut nulli de cætero, qui de regno  
Scotiæ non fuerit; nisi quem apostolica sedes pro-  
pter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, li-  
citurum sit in eo legationis officium exercere. Prohi-  
bemus autem ut controversiæ quæ fuerint in regno  
illo de possessionibus ejus exortæ, ad examen  
extra regnum positorum judicium non trahantur,  
nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si  
qua vero scripta contra hujus libertatis statuta  
apparuerint impetrata, vel in posterum, istius con-  
cessionis mentione non habita, contigerit impe-  
trari, nullum tibi vel ipsi regno circa hujus præro-  
gativæ concessionem præjudicium generetur. Præ-  
terea libertates et immunitates tibi vel eidem re-  
gno, vel ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus  
nostris Romanis pontificibus indultas, et hactenus  
observatas, ratas habemus, et illibatas futuris  
temporibus statuimus permanere. Nulli ergo ho-  
minum liceat paginam nostræ constitutionis et pro-  
hibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire.  
Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem  
omnipotentis Dei et beatorum Petri et  
Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Laterani, iii Idus Martii, pontificatus no-  
stri anno primo.

## XXXIV.

*Monasterii Sanctæ Mariæ Moncellensis protectionem  
suscipit, possessionesque ac privilegia confir-  
mat.*

(Laterani, Mart. 16.)

[HUGO, *O. P. A.*, II, Pr., p. 193.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dile-